



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

V. De Lege Et Evangelio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

DE LEGE ET EVANGELIO.

IN discrimen Legis & Evangelij magnam & clarissimam lucem sacris literis adferat, cuius adminiculo verbum Dei rectè fecari, & Prophetica atque Apostolica scripta dextrè explicari atque intelligi possunt: accurata diligentia illud est in Ecclesia conservandum atque retinendum, ne hæc duo doctrinarum genera inter se commisceantur: aut Evangelion in Legem transformeretur. Ea enim ratione meritum Christi obscuraretur: & conscientijs perturbatis dulcissima consolatio (quam in Evangelio Christi, sincerè prædicato, habent, qua etiam sese in grauiissimis tentationibus aduersus legis terrores sustentant) profus eriperetur.

Orta est autem etiam de hoc ipso negotio quædam inter aliquos Augustinæ Confessionis Theologos controversia. Una enim pars asseruit: Evangelion præ se non esse tantum doctrinam de gratia Dei, verum etiam esse simul concionem pœnitentiæ: quæ summum peccatum, videlicet, incredulitatem, redarguit. Altera verò pars contrariam sententiam propugnauit: quod, nimirum, Evangelion propriè non sit concio pœnitentiæ, arguens peccatum (hoc enim Legis Dei proprium esse officium, arguere omnia peccata atque ita etiam incredulitatem) sed Evangelion propriè esse prædicationem, de gratia & clementia Dei, propter Christum: per quem conuersis ad Christum, incredulitas (in qua antea hæserant, quam etiam Lex Dei redarguerat) condonetur atque remittatur.

Cùm autem de hoc diffidio diligenter cogitamus,

deprehenditur, inde adeò illud exortum esse, quòd
 vocabulum Euangelij non semper in vna eademque
 significatione accipiatur: sed duobus modis, tum in
 sacris literis, tum in veterum ac neotericorum scriptis
 vsurpetur & accipiatur. Vno enim modo totam Chri-
 sti doctrinam significat, quam ministerio suo in his ter-
 ris proposuit, & in nouo testamento proponendam
 præcepit, & hac ratione Christus Legis explicatio-
 nem & annunciationem clementiæ & gratiæ Dei pa-
 tris sui cœlestis est complexus, sicut Marci primo scri-
 ptum est: Initium Euangelij Iesu Christi, filij Dei, &c.
 Et paulò post: capita totius doctrinæ cœlestis præci-
 pua recitantur: videlicet, pœnitentiæ & remissio peccatorum.
 Ad eundem modum, cum Christus post resurrectionem suam Apostolis præciperet, vt prædica-
 rent Euangelion in vniuerso terrarum orbe, totius do-
 ctinæ suæ summam breuissimis comprehendit, in-
 quiens: Sic scriptum est, & sic oportebat Christum
 pati, & resurgere à mortuis tertia die: & prædicari
 in nomine eius pœnitentiæ & remissionem peccatorum,
 in omnes gentes. Et sic etiam Paulus totam suam do-
 ctinam vocat, Euangelion: summam autem suæ do-
 ctinæ distribuit in hæc duo præcipua capita: in pœ-
 nitentiæ erga Deum, & fidem in Christum. Et in hoc
 sensu generalis illa definitio Euangelij (cum hæc ac-
 cipitur, & extra discrimen Legis & Euangelij vsurpa-
 tur) vera est, cum dicit: Euangelion est concio de pœ-
 nitentiæ, & de remissione peccatorum. Etenim Iohannes
 Baptista, Christus, & Apostoli prædicationem suam a pœ-
 nitentiæ sunt exorsi: & ita non tantum promissionem
 illam dulcissimam de immensa Dei gratia, atq; peccato-
 rum remissione, proposuerunt: verum etiam Legem
 Dei explicuerunt atque vsuerunt. Deinde vocabulum
 Euangelij in alia, & quidem propriissima sua significa-
 tione vsurpatur: & tum non concionem de pœnitentiæ,

Marc. 1.

Marc. 16.

Luc. 24.

Act. 20.

sed

sed tantum prædicationem de clementia Dei complectitur, ut statim Marci 1. sequitur, cum Christus inquit: Pœnitentiam agite, ET credite Euangelio.

Sed & Pœnitentiæ vocabulum in sacris literis non semper vnâ eandemq; significationem habet. Quibusdam enim sacræ scripturæ locis pro tota hominis cōuersione ad Deum, sumitur. Verbi gratia, cum Christus inquit: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Et alibi: Gaudium erit super vno peccatore pœnitentiam agente, &c. At in Marco (quod testimonium paulò antè attulimus) & alibi, vbi distinctè ponuntur, pœnitentia, & fides in Christum: aut, pœnitentia, & remissio peccatorum: pœnitentiam agere nihil aliud significat, quàm, peccata verè agnoscere, seipso dolere, à peccatis in posterum abstinere: ea verò peccatorum agnitio ex LEGE est, & ad salutarem conuersionem ad Deum non sufficit, si non fides in Christum accedat: cuius meriti dulcissima & consolationis plena Euangelij doctrina, omnibus respicientibus peccatoribus offert, qui per concionem legis perterriti & prostrati erant. Euangelion enim remissionem peccatorum non securis mentibus, sed perturbatis, & verè pœnitentibus annunciat. Et ne contritio & terrores legis in desperationem vertantur, opus est prædicatione Euangelij, ut sit pœnitentia ad salutem.

Cum enim nuda illa Legis prædicatio (sine mentione Christi) aut inflatos hypocritas efficiat, qui sibi imaginantur, quòd Legem externis operibus suis implere valeant, aut homines ad desperationem adigat, Christus Legem in manus suas sumit, eamq; spiritualiter explicat, & sic iram suam de cœlo reuelat, super omnem impietatem hominum, & ostendit, quanta sit ira diuina. Ea ratione ad legem illi ablegantur, ut ex ea demum rectè peccata sua agnoscere discant: quam agnitionem peccatorum Moyses nunquam ab illis ex-

*Marci. 1.**Luc. 13.**Luc. 15.**Marci. 1.**Actor. 20.**Luc. 24.**Luc. 4.**2. Cor. 5.**Matth. 5.**Rom. 1. 7.*

2. Cor. 3.

torquere potuisset. Quia (vt Apostolus testatur) et si Moyses prælegitur: manet tamen nihilominus velamen super faciem eius, non reiectum, vt non agnoscere possint homines, legem esse spiritualem, & exigere a nobis res longè maximas, quas cum præstare & implere nequeant, Legem nos horribili & extrema maledictione atq; damnatione obruere. Quando autem ad Christum conuertuntur, tum velamen illud tollitur: vt idem Apostolus docet.

1. Cor. 3.

Hæc cum ita se habeant, manifestū est, Spiritus sancti officium esse, non tantum consolari, verum etiam (ministerio Legis) arguere mundum de peccato: & ita (etiam in nouo Testamento) facere opus alienum, vt Propheta loquitur, quod est, arguere: vt postea faciat opus proprium, quod est, consolari, & gratiam De prædicare. Hanc enim ob causam nobis Christus precibus suis & sanctissimo merito eundem nobis à Patre impetrauit, & misit: vnde & paraclētus seu consolator dicitur: quemadmodum D. Lutherus in explicatione Euangelij Dominicæ s. post Trinitatis, sequentibus verbis hanc rem perspicue exposuit.

Concio Legis est, quicquid de peccatis nostris & de ira Dei docet: quomocumq; aut quandocumq; fiat. Euangelion verò talis est concio, quæ nihil nisi gratiam & clementiam Dei, atque remissionem peccatorum in Christo monstrat & exhibet. Interim tamen verum est & rectè fit, quòd Apostoli & Euangelij ministri (quod & ipse Christus fecit) concionem Legis confirmant, eamque inchoant apud eos, qui peccata sua nondum agnoscunt, & sensu iræ Dei nondum sunt perturbati, vt ipse inquit: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato: quia in me non credunt. Imò, quæ magis seuera & horrenda significatio atque concio iræ diuinæ aduersus peccata est, quàm illa ipsa passio & mors Iesu Christi, filij Dei? Veruntamen quoad hæc

Ioh. 16.

omnia iram Dei ostendant, & hominem terrent, non sunt propter Euangelij aut Christi concio: sed potius Moies & Lex, contra impenitentes. Euangelium enim & Christus nobis non eam ob causam donant, ut nos perterrefaciant atque condemnent: sed ut iij, qui perturbati & pusillanimes sunt, consolationem capiant atque erigantur. Et alibi inquit D. Lutherus: *Tom. 2. lex. fol. 455.* Christus ait: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato. Hoc autem fieri non potest, nisi per explicationem LEGIS.

In hanc sententiam etiam Smalcaldici articuli loquuntur. Nouum Testamentum retinet atque vrget ministerium Legis: quæ & peccata arguit, & iram Dei reuelat. Sed ad illud Legis officium adiungit mox promissionem gratiæ diuinæ, per Euangelij prædicationem.

Et Apologia inquit: Ad salutarem & veram penitentiam non sufficit Legis prædicatione: sed accedere oportet Euangelion. Hoc modo duo hæc doctrinarum genera coniuncta sunt, & ambo vrgenda sunt: certo tamen ordine, & conuenienti discrimine obseruato. Et hæc damnantur Antinomi aduersarij Legis, qui prædicationem legis ex Ecclesia expellunt, & affirmant, non ex Lege, sed ex solo Euangelio peccata arguenda, & contritionem docendam esse.

Vt autem omnes intelligant, quòd in hac controversia nihil dissimulare, sed pio Lectori totum negotium, quanta fieri potest simplicitate & perspicuitate, late oculos proponere cupiamus, sententiam nostram proponemus.

Credimus, docemus, & constitemur vnanimi consensu: quòd Lex proprie sit doctrina diuina, in qua iustissima & immutabilis Dei voluntas reuelatur: quatenus oporteat esse hominem, in sua natura, cogitationibus, verbis, factis, ut Deo probari & acceptus esse possit. Simul autem transgressoribus, Dei iram & temporalia

quis sit lex

Rom. 3. 7.

atque æterna supplicia Lex denunciatur. Nam (vt D. Lutherus contra Antinomios scribit) quicquid peccatum arguit, id Legis habet rationem, & ad Legem pertinet, cuius proprium officium est, peccata arguere, & ad agnitionem peccatorum adducere. Et quia incredulitas radix & fons est omnium peccatorum, quæ arguenda & reprehendenda sunt, Lex Dei etiam incredulitatem arguit.

Est autem etiam hoc verum, Legis doctrinam per Euangelion illustrari & declarari. Nihilominus vero proprium Legis officium est manetque, peccata arguere, & de bonis operibus docere.

Hac ratione Lex incredulitatem arguit: quando videlicet verbo Dei fides non adhibetur. Cum autem Euangelion (quod solum, & propriè docet ac iubet in Christum credere) sit verbum Dei, Spiritus sanctus per ministerium Legis etiam incredulitatem arguit: quod peccatores non in Christum credant: quod Euangelium tamen solum propriè docet de saluifica fide in Christum.

Euangelion autem propriè doctrina est, quæ docet (quandoquidem homo Legi Dei non satisfacit, sed eam transgressus est, & Legi Dei tota ipsius natura, cogitationes, sermones, facta repugnant: unde & ira Dei, morti, omnibusque temporalibus ærumnis, & æternæ gehennæ incendio obnoxius est) quid miserimus ille peccator CREDERE debeat, vt remissionem peccatorum apud Deum obtineat: videlicet, Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum in sese suscepisse maledictionem Legis ferendam, omnia nostra peccata, plenissima satisfactione expiâsse: ita quidem, vt per ipsum solum cum Deo reconciliemur, remissionem peccatorum per fidem consequamur, à morte omnibusque alijs peccati supplicijs liberemur, & in æternam saluemur.

Quæ

Quicquid enim pauidas mentes consolatur, quicquid fauorem & gratiam Dei transgressoribus Legis offert, hoc propriè est, & rectè dicitur Euangelion, hoc est, laudissimum nuncium: quòd Dominus Deus peccata nostra nolit punire, sed propter Christum condonare.

Quare peccatores poenitentes credere debent, hoc est, totam suam fiduciam in solum Christum collocant: quòd videlicet propter peccata nostra traditus sit, & propter iustitiam nostram resurrexerit: qui peccatum quidem non nouerat, & tamen pro nobis peccatū factus est: ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso, qui nobis factus est iustitia: & cuius obedientia nobis coram se uero Dei iudicio ad iustitiam imputatur: ut ita lex, ut supra ostensum est, ministerium sit, quod per iteram occidit, & damnationem denunciat, Euangelion autem sit potentia DEI ad salutem omni credenti, prædicans iustitiam, & dans Spiritum: quemadmodum D. Lutherus hoc discrimen propemodum in omnibus suis scriptis diligenter inculcauit: atq; accurate monuit, longè aliam Dei agnitionem ex Euangelio, quàm ex lege hauriri: quia etiam gentes ex Legè Naturæ aliquam Dei cognitionem habuere: nec tamen eum rectè vel agnouerunt, vel coluerunt.

Hæc autem duo doctrinarū genera iam inde à confuso mundo in Ecclesia Dei, conuenienti tamen discrimine, proposita fuere. Patriarcharum enim posteritas, quemadmodum etiam ipsi Patriarchæ non modo assidue in memoriam reuocârunt, quòd homo in initio à Deo iustus & sanctus creatus, fraude autem serpentis mandatum Dei transgressus peccator sit factus: eaq; non modo se, verum etiam totam suam posteritatem perdidit, atq; in mortem & æternam damnationem præcipitauerit: Sed rursus se erexerunt, & confortati sunt dulcissima illa concione, de semine mulieris,

Rom. 4.

2. Cor. 5.

1. Cor. 1.

2. Cor. 3.

Rom. 1.

Rom. 1.

Genes. 3.

con-

*Gen. 22.**Psal. 110.**Isa. 40. Et*

53.

Luce. 1.

contrituro caput Serpentis : Item, de Abrahami semine, in quo benedicendæ erant omnes gentes : & de filio Dauidis, qui regnum Israël restaurare debebat, & lumen gentium futurus erat : qui vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra, cuius liuore sanati sumus.

Hæc duo doctrinæ Christianæ capita, credimus atque profiteamur, vsq; ad nouissimum diem sedulo, conuenienti tamen discrimine, in Ecclesia Dei proponenda atque vrgenda esse. Concione enim LEGIS, eiusq; grauissimis comminationibus in ministerio Noui Testamenti, mentes impœnitentium hominum perterrificandæ, atq; ad veram peccatorum suorum agnitionem, & ad agendam pœnitentiam sunt adducendæ. Id tamen non eo modo, vt propter peccata desperent, sed vt ad Christum confugiant : Lex enim pædagogus est in Christum, vt per fidem iustificemur : & cum Christus sit finis legis, non à Christo, sed ad Christum nos ducat. Quare post agnita peccata ex Lege, mentes perturbatæ erigendæ sunt, vt ex EVANGELIO de Christo prædicatione solidam consolationem accipiant, atq; confirmato animo sint, scientes, quod Dominus (si quidem Euangelio crediderint) omnia peccata per Christum ipsis condonet, eos propter meritorem filios adoptet, & ex mera gratia, sine vllō ipsorum merito, iustificet, & saluare velit. Non tamen diuina illa gratia abutantur, aut eius fiducia scientes volentes peccent. Et hoc discrimen Legis & Euangelij Paulus in Epistola ad Corinthios posteriore luculentè admodum declarauit.

*Galat. 3.**Rom. 10.**2. Cor. 3.*

Quare ne doctrina Legis & Euangelij denuò commisceantur, & vni, quod alterius est, tribuatur, summo studio vera & propria differentia Legis & Euangelij retinenda atque vrgenda est : eaq; omnia, quæ nouæ confessioni inter Legem & Euangelium occasionem præ-

ere, possent, studiosè cauenda atq; vitanda sunt. Talis
 mia confusio faciliè meritum & beneficia Christi ob-
 curare, & Euangelion in Legem transformare posset:
 quod sub Papatu accidisse videmus. Et hac ratione pi-
 smentibus vera consolatio, quam ex Euangelio con-
 tra terrores legis haurire debent, eriperetur: & Ponti-
 cijs erroribus fenestrâ in Ecclesiam Dei irrepenti &
 nuadendi aperiretur. Quapropter magno cum peri-
 culo coniunctum est, neq; approbari potest, quòd asse-
 ritur, Euangelium (proprie sic dictû, & cùm a lege dis-
 cernitur) esse concionem pœnitentiæ, arguentem pec-
 cata. Alias verò quando generaliter de tota doctrina
 Christiana accipitur, etiam Apologia aliquoties doc-
 et, quòd Euangelium sit concio de pœnitentia & re-
 missione peccatorum. Interim tamen Apologia etiam
 ostendit, Euangelion PROPRIÈ dici promissionem
 de remissione peccatorum, & iustificatione nostra per
 Christum: Legem verò esse doctrinam, quæ & peccata
 arguat, & damnationem denunciet.

VI.

DE TERTIO VSV LE-
GIS DIVINÆ.

VM constet, triplicem esse legis diuinæ
 vsum (Lege enim disciplina externa &
 honestas, contra feros & indomitos
 homines, vtcunq; conseruatur. Lege
 peccatores ad agnitionem peccati ad-
 ducuntur. Deniq; qui per Spiritum Dei
 renati, & ad Dominū conuersi sunt, & quibus iam vela-
 men Moïsi sublatū est, lege docentur, vt in vera pietate
 viuant & ambulent.) Orta est de tertio illo vsu Legis
 contouersia, inter paucos quosdam Theologos. Horū
 alij docuerunt atq; senserunt, non opus esse, vt renati
 nouam

I.

II.

III.